SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE
BOLLETTINO

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0444

Lunedì 27.05.2024

# Lettera Pontificia all'Inviato Speciale del Santo Padre alla celebrazione del V Congresso Eucaristico Nazionale in Portogallo (Braga)

In data 6 aprile 2024, il Santo Padre Francesco ha nominato l'Em.mo Card José Tolentino de Mendonça, Prefetto del Dicastero per la Cultura e l'Educazione, Suo Inviato Speciale al V Congresso Eucaristico Nazionale in Portogallo, che sarà celebrato a Braga dal 31 maggio al 2 giugno 2024.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale:

## Lettera del Santo Padre

Venerabili Fratri Nostro
IOSEPHO S.R.E. Card. TOLENTINO DE MENDONÇA
Dicasterii de Cultura et Educatione Praefecto

Quem in sacrae mensa cenae humano generi datum non ambigitur, quod sub diversis speciebus, signis tantum et non rebus, latet Ipse eximius, novi testamenti veneramur mediatorem, ut, morte intercedente in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priore testamento, repromissionem accipiamus aeternae hereditatis (cfr *Heb* 9, 15) et, quibus sub sacramento mirabili dominicae passionis memoria relicta est, redemptionis fructum sentiamus in nobis (cfr *Missale Romanum*, SS.mi Corporis et Sanguinis Christi, *collecta*).

Quo in Deo sustentati pignore, in universae Ecclesiae necessitatum studium incumbentes, valde laetamur de V Congressu Eucharistico Nationali Bracarae in Lusitania proxime celebrando. Tantam proinde recolentes occasionem, Venerabilis Fratris Iosephi Ornelas de Carvalho, Episcopi Leiriensis - Fatimensis atque Conferentiae Episcoporum Lusitaniae Praesidis, humanissimae petitioni libenter concedere volumus, qui enixe postulavit, ut haec adunatio locupletari possit praesentia ac verbo alicuius Eminentissimi Viri, qui vices Nostras ibi gerat Nostramque erga conventam communitatem manifestet dilectionem.

Ad Te ergo, Venerabilis Frater Noster, mentem Nostram convertimus, qui adiuncta culturalia, socialia ac religiosa patriae admodum comperis, ut Nobis nunc peraptus videaris, qui, Nostras vices ibi gerens, erga dilectissimum istum concursum proximitatem Nostram manifestes, praesentia ac verbo Tuo hunc Coetum

exornans. Te, proinde, ad hanc legationem obeundam eligimus et, hisce Litteris, Missum Extraordinarium Nostrum nominamus ad supra dictum V Congressum Eucharisticum Nationalem Lusitaniae, qui inter dies XXXI mensis Maii et II mensis Iunii celebrabitur.

Potestatem Tibi libenter facimus, dum insigni eidem occasioni intereris, illum Coetum, publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro nomine salutandi ac benedicendi, quos cohortaberis, ut, intercedente Beata Maria Virgine, quae Mater et Mediatrix Gratiae est, Fons Salutis et Fidei Praesidium, spiritum caritatis et donum unitatis dispensante, cum simplicitate cordis in fractione panis communicans et orationibus (cfr *Act* 2, 46) et in doctrina Apostolorum perseverans, humanum genus una fides illuminet et caritas coniungat una (cfr *Missale Romanum*, praefatio II de SS.ma Eucharistia). Simul, insuper, gravissimum Nostrum ministerium Petrinum precibus committimus universo Coetui ibi congregato.

Dum Tibi, Venerabilis Frater Noster, Benedictionem impertimur omnibus, qui celebrationi aderunt, transmittendam, legationem Tuam ardentibus precibus comitamur, a Deo misericordiae suppliciter obsecrantes, ut de huius Conventus navitate multiplices fructus carpant fideles.

*Datum Romae, Laterani, die XXII mensis Maii, anno Domini MMXXIV, Pontificatus Nostri duodecimo.*

FRANCISCUS

[00915-LA.01] [Testo originale: Latino]